


Zi
5200





Q. 519, 55

Ze
5200

TESTIMONIUM SIVE ELOGIUM,
Illustriss. Academiae Ienensis ad Salam: honori-
ficientissimè & liberalissimè com-
municatum:

HIEREMIAE
SETSERO SILES. IV-
RISCONS. ET PHILOLOGO,
ex Academia Ienensi, in qua annos ali-
quot summa cum laude ingenij, doctri-
nae, & eloquentiae vixerat, & jura ciuilia
docuerat, reversuro iterum ad incly-
tam Marchionum Aca-
demiam:

*Addito in fine Illustriss. Marchionum
Academiae Elogio, cum quibusdam
propempticis.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



IENAE

Imprimebat Tobias Steinmann. Anno 1599.



Rector & Senatus universus
Academiae Ienensis, Lectori
benevolo

S. P. D.



Perquam venustum est & elegans illud Platonis figmentum: qui lib. 3. de Repub. tria hominum facit genera: quorum societas & communio civitatem efficiat: unum quidem eorum, quibus aureum Deus instillavit; è quorum numero Principes & magistratus legendi sint: Alterum eorum, quibus infudit argentum: qui ordo militiam obire debeat; & pro aris ac focis, si opus sit, fortiter pugnare: Tertium deniq; eorum, quibus æs & ferrum immisit: quâ classe mercatores, opifices, & agricolas cõtineri affirmat. Hic verò neminẽ ab omni ratione tã aversum esse putamus: qui τὸ ἐν τὸν potius, quod falsum & absurdum est, retinere velit; quàm ad δίανοιαν attendere; & concinnam interpretationem, quæ veritati & Platonis menti consentanea sit, exquirere. Si quis itaque percontetur, quòdnam genus hominum in tanta morum & ingeniorum varietate sit illud aureum, cui magistratus publici tutò committi possint: non deerunt fortasse, qui nobilitatẽ esse asseverent; quam Deus hac felicitate ceteris mortalibus antecellere voluerit: Quod minimè quidem negare possumus, nisi veritati contradicere velimus, & partem generis humani lectissimam honore suo defraudare. Naturales enim illi impetus, quibus ad virtutem incitamur, in familiis nobilioribus fere semper acriores sunt, quàm in promiscuâ plebeculâ: cui si ea suppetant; quibus hanc tolerare vitam potest: de laude & gloria non magnopere est sollicita. Quin & eadem familiæ domestica virtutum & honorum suis in majoribus habent exempla: quæ si ob oculos sibi ponant: ad

res

res præclarè gerendas non possunt non vehementissimè inflammari: & eò quidem magis, cum ampliora suorum laborum ferant præmia, quàm vulgus hominũ, si & ipsum emergere conetur, & à contemptu se vindicare. Interim verò non minùs commodè uno verbo responderi posse videtur: aureos illos homines, qui ad clavum Reipub. sedere debeant, esse Iureconsultos: quod tam apertum & perspicuum esse putamus; ut id nemo in dubium vocare possit, nisi eadem operâ Cercopum conciliabula senatui Areopagitico velit antepone. Iureconsultos verò cum dicimus; non illos intelligimus rabulas; qui, ut inauspicate quædam volucres, in foro circumvolitant; & instar vulturum alienis insident cadaveribus: sed hoc nominis & honoris iis tribuimus: quorũ excellens est sapientia, virtus egregia, singularis eloquentia: quas animi dotes qui habent; illi verè homines sunt aurei: & rempublicam suã concreditam fidei non difficulter è lateritiã marmoream efficere possunt. Sapientiam in Iureconsulto requirimus: siquidem hoc defungi officio nemo fideliter potest & feliciter: nisi qui omnem Philosophiam moralem, & ceteras, quæ huic ancillantur, artes animo complectatur suo: qui historiam cum veterem tum recentiore nocturnã diurnãque manu versarit & evolverit: qui juris & æquitatis omnẽ vim ad unguẽ norit, qui Rerumpub. ortus, incrementa, mutationes, varietates, & administrandi rationem egregiè callat: qui & pacis & belli temporibus rectum tenere clavum valeat: & ita quidem non tantum privatorũ hominum lites & controversias dirimere; sed etiam ea, quæ ad summam Reipub. pertinent, ita moderari: ut illa nec periclitetur in rebus secundis, nec in adversis evertatur. Et his quidem disciplinis qui erant imbuti, quondam Philosophi dicebantur: unde Plato tum demum beatas fore Respub. iudicabat; si eas aut Philosophi regant; aut qui regunt, philosophentur. Ut autem virtus sapientiæ copuletur, omnino necessum est: cum eruditio sine probitate & morum integritate minimè omnium sit prudentia: sed mera calliditas, & pestis ac pernicies extrema Rerumpublicarum: nec quicquã aliud, nisi gladius anceps & acutus in manu furiosi, quo ob-

vios quosque sternere possit & trucidare: ideo præclare De-
us ille Philosophorum Plato omnem artem & scientiam, si
à justitia & reliquis virtutibus sejuncta sit, non esse σοφίαν,
sed πανουργίαν, & multis è fraudibus confutam malitiam pro-
nunciat. In primis autem hoc laudi jureconsulto vel ma-
ximè datur: si cum statuis judicum Thebanorum clausos
habeat oculos, & truncas manus; & cum Sulpicio ad æqui-
tatem atq; facilitatem referat omnia: & controversias tol-
lere, quàm constituere malit. Denique dicendi facultas
sapientiæ ac virtuti jungenda: cum hæc sola sit illa flexani-
ma artium regina, quæ dicendo cætus hominum tenere po-
test, mentes allicere, voluntates impellere, cohortari ad vir-
tutem ardentè, à vitiis revocare acriter, improbos vitupe-
rare asperè, laudare bonos ornatè: quæ omnia sunt eiusmo-
di, ut sine iis Respub. nullo pacto administrari possit. De
Pericle jactare olim solebant; eum non dicere, sed corusca-
re, sed tonare, sed omnem Græciam permiscere: & Pyrrhus
Epirotarum Rex ingenuè fassus legitur, operâ Cyneæ, qui
Suadam hanc fessitantem in labris habebat, plures se urbes
cepisse, quàm vi & armis expugnare potuerit. Hæc qualem-
cunq; Iureconsulti descriptionē & ὑποτύπωσιν si quis eorum,
qui non omninò sunt hospites in Academiâ nostrâ, ad rati-
onis lancem appendat, & vivum eius quærat exemplum:
vix poterit fieri, quin animo ipsius & cogitationi statim ob-
versetur vir amplissimus & clarissimus. **D. D. I E R E M I-
A S S E T S E R V S** Svidnicensis Silesius: in quem hæc
tot & tantæ Iureconsulti laudes aptissimè conveniunt. Vixit
ille nobiscum per integrum quinquennium: & ita quidem
vixit, ut eius præsentia nobis deinceps quoq; perquam ho-
norifica & fructuosa esse potuerit: quàm maximè diuturnam
esse & optavimus & speravimus. Verùm cum non sine sin-
gulari **D E I** providentia, quæ humana fingit & artat ut lu-
bet, aliò sese conferat: Idque ille unice quærat, ut operâ &
labore suo Reipublicæ Christianæ quàm saluberrimè com-
modare possit: idcirco hanc ipsi mentem ex animò gratu-
lamur. ardentibusque à Deo Opt. Max. votis omnes conten-
dimus: ut viri optimi & præstantissimi labores & operas ad
nominis

nominis sui gloriam, & Ecclesiæ & Reipub. salutem, & ad honestissimæ ipsius familiæ honorem atq; emolumentum benignè dirigat. Et quia nostrarum partiū esse duximus, quæcunq; benevolentia & amicitia nostræ significationē ipsi edere: hanc nostri de ipso iudicii consignationē ei jam abiruro velut ἐφ' ὅδ' οὖν quoddam summā voluntate exhibuimus. Ac proinde his literis, quas publici testimonii vim habere volumus, profitemur: clarissimum & consultissimum virum
D. D. I E R E M I A M S E T S E R V M
abundè nobis ea præstitisse omnia: quæ & virum decent bonum, & Collegam fidelem, & Præceptorem integerrimum. Etenim toto hoc, quo nobiscum vixit, tempore, privatas & publicas non modò in Philosophia, sed & in iure scholas aperuit: quæ magna nobilium & lectissimorum juvenum celebratæ sunt frequentia: in quibus docendi munus ita gessit: ut & in juris præsertim interpretatione singularem dexteritatem, & in dicendi facultate eloquentiam & suavitatem incredibilem, & in disputationibus solertiam ac facilitatem admirandam, & in Decanatu Philosophico, quem maximā cum laude gessit, fidelitatem & humanitatē egregiam, & denique in omni vitâ pietatem, studium cōcordiæ, moderationem & comitatem summam omnibus probârit. Neque dubitamus quin & deinceps *κωνδὸν ἀγαθὸν* futurus sit, & præclarum Reipubl. in qua victurus est, ornamentum: & commune civitatis oraculum: à quo consilium omnes petere, & auxilium impetrare certò possint. Quapropter eos omnes, qui auctoritate pollent, & nobilitate generis ac virtute & eruditione præstant, cum præfatione honoris, qui cuique debetur, amanter & officiosè rogatos volumus: ut optimum hunc & præstantissimum virum eo loco, quem meretur, habeant: & cum privati tum publici commodi causa omni eum favore & benevolentia complectantur: & quibuscunque possunt officiis amicè juvent, provehant, ornent, amplificent, tueantur: quò intelligat, non tantum hanc nostram commendationem plurimum sibi profuisse: sed etiam re ipsa cognoscat, quàm verè dixerint veteres, Omnē terram artes alere; & doctos viros, licet aliò se nudi conferrant,

rant, ubique tamen locorum & rem & amicos invenire.
Hoc qui fecerint: illi cum in Ecclesiam, tum in Remp. mul-
tum beneficii conferent: & non modò virum clarissimum
D. IEREMIAM SETSERVM;
sed etiam nos ipsos, quotiescunque tempus & occasio tulerit,
gratissimos experientur: Quod reliquum est, *DEVM*
Opt. Max. qui nutu suo omnia temperat & moderatur, veneratione
& oramus: ut nos omnes, in suâ quemlibet statione
vasa non iræ, sed gratiæ; non ignominia, sed honoris & gloria
sempiternæ, propter filium unigenitum clementer efficiat.
His literis firmandæ fidei causâ publicum Academiae
nostræ sigillum appressimus: quæ dabantur *LENÆ*

Calendis Augusti A. O. R.

CI^o IS IC.



RECTOR



Rector & Senatus universus

ACADEMIÆ FRANCOFVRTA-
næ, Lectori humanissimo salu-
tem.



T verè ab Attica illa ape dictum
τὰ ἔργα πιθανώτερα τῶν λόγων; & verè vir-
tus ipsa multoque usu comparata eruditio non
tarn exornari verbis, quam in plurimorum aspe-
ctu lætari suo vult ornatu & decore proprio: ita
ut haud existimetur is eulogio ad alios com-
mendandus, qui ipse, quis sit loqui potest, vel
aperta fronte, animoq; polito, voce autem non indocta plurimo-
rum animis tacitè ipsam se insinuat. Sed aliena tamen opus esse
interdum prædicatione, nemini obscurum, sive quod περιωτολογεῖν
hominis est Bombilij & fastuosi Maximi; sive quod suspicio cæca
peregrè adventantes, ab optimorum excludere colloquiis non
raro auder: sive etiam quod hanc laborum suorum quasi mercedè
virtus deposcit, ut grata ad exteros commendatione provehatur
Quamobrem nec in aliis non Laudicenis ipsis συστατικὰ quæ affe-
runtur facilè repudianda: nec verò faciendum nobis ut doctissimi
juvenis, Dn. M. HIEREMIAE SETSERI Suidnicensis Silesii,
amicinostri, abitū, nullo dignemur ἐξοδιῶ, siue potius εἰσοδιῶ cuius-
modi olim in Saxis publicis, hodiè in literis facilè & amore eorū
est qui nos aliò usq; prosequuntur, atq; ad bonos vi aperiunt, si-
gnant, communiunt. Etsi enim ea cū naturæ bonitas, tum in
studiis elegantioribus assiduitas in Dn. M. SETSERVM dona
contulit, quæ in obscuro nunquam latebunt angulo: æquitaris ta-
men fuerit atq; officii nostri, ut quantam ille de se expectationem
cōcitarit nobis, toto hoc, quo nobiscum egit tempore, aliis aper-
tum cupiamus. Cum primum Philosophica frequens adisset Ly-
cæa, statim ipsa non visus est acquiescere admiratione nuda &
contemplatione sola, quam solam plerosque alios consecratos, &
vix consecutos novimus: γυμνασιαίαις etiam utilissimis eam addixit
operam, quantam & temporum felicitas, & ingenii præstantia ad-
misit summa, rectissimè post alios opinatas, scientiam istam vel
ignaviam censendam, vel semiplenam quandam & umbratilem
habendam

habendam, ad quam usus non accesserit, & suscepta cum aliis exer-
 citatio. Quocirca, quæ à linguis sibi non vulgariter cōparavit ad-
 iumenta, ex Aristotelicis optimæq; notæ Philosophis aliis didicit
 præcepta, eò accommodavit omnia, unde prodesset multis, confir-
 maret seipsum, excitaretq; ad usus invita necessarios. Cumq; me-
 rā studiis fixam esse oporteat, ad quam totus ille *ἑυσοχίας* literariæ
 jactus tendat, juridicæ se imprimis totum dedit facultati, in qua
 tantos fecisse progressus, sive ex prælectionibus privatis seu di-
 sputationibus publicè & privatim habitis deprehensus est, ut ma-
 jori dignum honore tituloque augustiore non pauci sentiant. A
 modestia autem, pietate, morumq; elegantia istā inter nos laudem
 iniit, quam præcipuam potest, cui natura melior, institutio felici-
 or, labor pertinacior: nullorum non quibus cum vixit, animos sibi
 devinciens; ut diutius ipsum certa inter nos studiorum expectasse
 præmia optaverimus. At enim verò sive Arbitri istius summi, sive
 sano amicorum monitu, ad perlustrandas Germanorum Athenas
 ducatur: prorsus cordatè facit, pedem uno loco efferre non metu-
 ens, omnino prudenter, alterum quoque ad veræ laudis iter oca-
 lum peregrinando aperiens. Etenim quis Philonis sapientissimi
 vocem planè hanc improbet, quæ expressè; *τυφλοὶ, ἰνὸν πρὸς ὁρῶν
 βλέποντας, ἀναπεδήμηται πρὸς ἰδιωτικὴν κἀκρότητα*, quantum cœci viden-
 tibus cedant, tantum peregrinati nunquam patriam egressis: quā-
 doquidem hujuscemodi lucem lectis & auditis sæpè infert Apo-
 demia, quantam ne multæ quidem lucubrationes. Proinde eam
 discedens spem relinquit nobis, fore, ut uberiores consecutus
 sapientiam & scientiam, plures aliquando Reipub. exsoluat fructus;
 & in laude vivat nunquam intermoritura: salus tantum ipsi Comes
 eat, præeat Lux è cœlo, numinis æterni gratia, sequatur pia gratu-
 lantium vox, excipiat eum amor & favor Doctorum, quos adie-
 rit. Alterum ab eo, qui unus: viæ vitæque dux & certa Lux est,
 precari discedentem convenit: alterum, præstiterint amici omnes:
 nos illud etiam, ut in amore sit & honore bonorum, quibus cum
 agere volet, nostraque fruatur *συγάσει*, maximopere rogamus, ad-
 dito insuper nostræ erga abeuntem affectionis symbolo:

Sospes eat, sospes redeat SETSERVS, & hortis

Quod Rosa, quod flos est, sit maneatq; suis.

Francofurti sub sigillo Acad. à. d. 10. Cal. Junias

Anni clō Io XCIV.

ULB Halle
004 976 126

3



Sb.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

QK 519/55

Ze 5200



TESTIMONIUM SIVE ELOGIUM,
 Illustriss. Academiae Ienensis ad Salam: honorificentissimè & liberalissimè communicatum:

HIEREMIAE
 SETSERO SILES. IVRISCONS. ET PHILOLOGO,
 ex Academia Ienensi, in qua annos aliquot summa cum laude ingenij, doctrinae, & eloquentiae vixerat, & jura civilia docuerat, reversuro iterum ad inclytam Marchionum Academicam:

Addito in fine Illustriss. Marchionum Academiae Elogio, cum quibusdam propempticis.



IENÆ

Imprimebat Tobias Steinmann. Anno 1599.

